

96 F 809

96 - 109





DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
SISTENS  
NOLI ME TANGERE  
MEDICUM  
SIVE  
MORBOS, QUOS TANGERE  
NON LICET,

*Quam*

AUSPICE DEO PROPITIO,  
*Et Consensu atque Auctoritate Gratiſſe Facultatis Medicæ,*  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,  
PRÆSIDE

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.  
CONSILIARIO SENIORE, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFES-  
SORE PUBLICO ORDINARIO, ALUMNORUM REGIORUM  
EPHORO SENIORE ORDIN. PHILOS. H. T. DECANO,

FACULT. MEDICÆ SENIORE, DECANO SUO SPECTATISSIMO,  
*Domino Patrono, Præceptore, ac Promotore ſuo, omni honoris cultu proſequendo*

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBUS LEGITIME MORE MAJORUM IMPETRANDIS,

ANNO MDCCLI. D. VII. JUL.

HORIS LOCOQUE CONSVETIS

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET

AUCTOR

JOHANNES FRIDERICVS MEZ,  
TUBINGA - WURTEMBERGENSIS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICAE

NOLI ME TANGERE



96 F 809

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA  
AUCTORIS NOMINE

ON. D. MICHAELIS ALBERTI

PRO GRADU DOCTORIS  
IN MEDICINA A HONORIBUS ET PRIVILEGIIS  
UNIVERSITATIS MEDICAE MAIORUM METRANENSIS  
ANNI MDCCCII. M. VII. JULII  
HABITIS LOCUTUS CONSULTIS  
PUBLICE A. H. NICKX ERUDITORUM VENTILATIONE SUBSIDIUM

JOHANNES FRIDERICUS MEYER  
LIT. REG. - WURTEMBERGENSIS

HABE MADERBURGER  
TYPIS ION CHRISTIANI HENDELII ACAD. TYPOG.

II  
VS  
LI  
D.  
SAC  
M  
AC  
C  
COL  
TI  
PR



40. 89435

ILLVSTRI MEDICORVM TRIVMVIRATVI

VIRO

ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, CONSULTISSIMO  
EXPERIENTISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO

D. MICHAELI  
ALBERTI

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST.  
MAGDEBURG. CONSILIARIO, MED. ET PHILOS.  
NATUR. PROFESSORE PUBL. ORDIN.

ACADEMIÆ NATUR. CURIOS. COLLEGÆ, SOCIETATIS  
REG. BORUSS. SCIENT. SODALI

COLLEGII MEDICI IN REPUBLICA NORIBERG. PHYSICO  
ORDINARIO SUBSENIORI ETC.

FACULTATIS MEDICÆ SENIORI

PATRONO  
PRÆCEPTORI AC PROMOTORI SUO

OMNI HONORIS CULTU PROSEQUENDO.

*Libr. XXVII / 7438.*

*Alberti*

VIRO  
ILLUSTRI, EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTIS-  
SIMO ATQUE DOCTISSIMO  
DOMINO  
JOHANNI JUNCKERO

MEDICINÆ DOCTORI,  
EJUSDEM PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO,  
ORPHANOTROPHEI HALENSIS ET PÆDAGOGII REGII  
PRACTICO LONGE CELEBERRIMO  
FACULTATIS MEDICÆ DECANO SPECTATISSIMO

PATRONO FAUTORI, MÆCENATI  
ATQUE PRÆCEPTORI SUO  
AD CINERES USQUE COLENDO.

VIRO

ILLUSTRI, EXCELLENTISSIMO, CONSULTISSIMO  
EXPERIENTISSIMO ATQUE DOCTISSIMO

DOMINO

D. ANDREÆ ELIÆ  
BÜCHNERO

SAC. ROM. IMP. NOBILI

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO REGI BORUSSIÆ  
A CONSILIIS INTIMIS

ACADEMIÆ IMPERIALIS NATURÆ CURIOSORUM  
PRÆSIDI

MEDICINÆ ET PHILOSOPHIÆ NATURALIS

IN ALMA FRIDERICIANA

PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO

PATRONO

PRÆCEPTORI AC FAUTORI

OMNI PIETATE DEVENERANDO.

VIRO  
ILLUSTRI, EXCELLENTISSIMO, CONSULTISSIMO

ONOMO  
SPECIMEN HOCCE INAUGURALE,

DEVOTISSIMÆ PIETATIS AC ÆTERNI OBSEQUII,

D. ANDR. BILIE  
PIGNUS ET TESTEM,

BUCHNERO  
CUM OMNIGENÆ SALUTIS ATQUE PROSPERITATIS

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO REGI BORUSSIE  
VOTO

AACADEMIÆ IN ULTERIOREM SUI COMMENDATIONEM

PRESEDI  
C. C. C.

MEDICINÆ ET NATURALIS  
IN ALMA TRIDENCIANA

PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO

PATRONO

AUTOR.

PRÆCEPTORI AC FAVORI

OMNI PIETATE DEVENERANDO.







## PROOEMIUM.



**D**E *Alexandro Magno* refert **PLU-**  
**TARCHUS** *in ejus vita*, quod  
Glaucōnem Medicum cruci affigi  
mandaverit, eo quia Hephæstio-  
nem infirmum deseruit, ut qui-  
busdam spectaculis interesset:  
unde ille in causa & culpa fuit, ut  
Hephæstio non servata debita vi-  
ctus ratione interierit: quare in scholis Medicorum  
quæstio hæc resolvenda proponitur, an salva con-  
scientia Medicus certis casibus ægrum deserere, &  
ulteriori suo auxilio destituere queat; quam qui-  
dam affirmativa resolutione, alii vero, certa limita-  
tione restringendo, decidunt, & in morbis deplora-  
tis, desperatis & incurabilibus talia concedunt reme-  
dia, quæ si juvare non possunt, attamen non nocent,  
quia Medici munus est, ut *semper prosit, nunquam*  
autem *obsit*, juxta **HIPP. Lib. I. de morb. vulg.** ideo  
quidam

quidam medicorum præcipiunt, nullo modo ægros ad extremum vitæ spiritum deferendos esse. Et quamvis desperati morbi omnem spem atque opem eludant & denegare videantur, ut sollicita opera perditæ appareat, tamen multi tam diu sperant, quam diu spirant, præterea interdum deserti a medicis convalescunt, & plures sanantur, de quibus Medicus desperat, & contra moritur aliquis, de quo Medicus securus primo fuit. Quæ de causâ etiam prudentes Medici in prognosi non præcipientes, sed circumspecti, in curatione vero indefessi & officiosi sint, siquidem nonnullis ægris robur ætatis succurrit, in quo artis potestas languescit: hinc plane quidam in casibus desperatis ad dubia experimenta, aut extremos & ancipites ausus confugiunt, in quibus vero temerariis tentaminibus ut plurimum parum solaminis inveniunt: quamvis etiam sec CELSI monitum *Lib. 5. c. 26. prudentis Medici sit, eum qui servari non potest, non attingere, ne eum, qui sorte sua interiturus erat, occidisse existimetur*, at tamen conscientiosi artificis officium est, ut SENECEÆ consilium observet & imitetur *de vita beata c. 12. non perveni ad sanitatem, nec perveniam quidem, delinamenta magis, quam remedia podagræ meæ compono, contentus, si rarius accedit, & minus verminatur*. Ne porro Medicus multorum funerum causa sit, quæ ipsi æque turpia existunt, quam Principi multa supplicia, ideo in morborum intricatorum & desperatorum cura, valde providus sit, nec facile quidpiam tentet, concludat, judicet & suscipiat, quod facilius damnum affer-

afferre, quam aliquam requiem & linimentum procurare potest. In tanta autem morborum multitudine, eorum diversa qualitate tales etiam occurrunt, in quorum directione medici *επέχειν και υπέχειν* exercere debent, & fonticæ quædam nonnullorum morborum qualitates postulant, ut non solum exquisita circumspectio quoad medicam eorum tractationem observetur, sed & aliquando vel pauca vel nulla remedia iisdem adhibere, ne causæ intricatæ irriterentur, quæ potius intactæ & quietæ relinquendæ sunt, quemadmodum nimis sollicita medicorum officiositas implicatis & illaqueatis nonnullis casibus magis detrimentum quam adjumentum causatur: ob id verius in tali necessitate medici famæ, honori, existimationi & peritiæ suæ consulunt, si certa sub restrictione aliquandiu, aut in totum, a remediorum ordinatione & positiva applicatione abtinent, ne funestus alicujus morbi decursus imperitiæ medici imputeretur: communiter enim fatales tales morborum exitus nec ægrotantium morositati, impatientiæ & erroribus, nec morbi gravitati & immedicabili qualitati, sed medicorum aut imputatæ imperitiæ, aut accusatæ negligentæ adscribitur, qui capri expiatorii instar, culpam obitus in deserta sepulchrorum transferre & portare debent, quod quidem is sub reliqua innocentia levius & facilius tolerare potest, si aquareoli aut eurrucæ fama inclaruit, quoniam cornubus armatus castrati hirci imaginem præsentat, interim reliquos integros medicos impietatis criminantur, quod homines e medio officiose tollant.

B

Quo



Quo igitur Medici fama, artis autoritas, & ægrotantium status morbosus rite defendatur, ideo præsentis inaugurali specimine Medico famigeratum **NOLI ME TANGERE** intrepide attingere, & medico-practica relatione & applicatione explicare & commendare suscepimus, cui instituto ut cœlestis benedictio exoptatos largiatur progressus in dicendi & differendi exordio devotissimis precibus petimus atque rogamus.

§. I.

**A**Rgumentum præsentis tractationis quadantenus absconditum esse videtur, siquidem dictionem ænigmaticam, emblematicam, problematicam, allegoricam & mutuam comprehendit, nam rigorosa & seriosa acclamatio *Noli me tangere* continet dehorrationem & monitionem, ne quis rem aliquam *intricatam*, suspectam, gravem, sensibilem, *subdolanam*, malignam, vel clam vel manifeste periculosam, irritabilem, aut levi aut gravi contrectatione alteret, *moveat*, concitet, aut plane offendar, quia juxta Platonis symbolum facilius est rem quietam movere, quam motam quietare: quod monitum magnam circumspeditionem, attentionem, deliberationem, præmeditationem & peritiam præsupponit, injungit & commendat, ne quis improvido ausu tentet & operetur, ne quempiam id fecisse pœniteat, ne novus, priore deterior, oriatur error, aut damnum atque perniciēs, neve quis statum alicuius rei vel causæ violet; quid quod hæc locutio præsentis thematis & lemmatis videretur mutuata ab illa Christi, qui modo resurre-

surrexit, allocutione Magdalenaë, Joh. XX, 17. μή με άπτε  
 ne me tange, aut noli me tangere. Præterea hæc locu-  
 tio præsentis disquisitionis perita est a denominatione cer-  
 torum *vegetabilium*, quæ frutices, arbores, herbas, & plan-  
 tas *sentientes* nominant, de quibus rerum *exoticarum*,  
 quippe Indicarum scriptores, imprimis *Carolus CLUSIUS*  
 referunt, quod apud antipodas & Indos, famosa reperit-  
 tur arbor, cognomine pudica, quæ sic comparata est, ut  
 ad quemlibet hominis vel animalis accessum aut tactum  
 ramos & folia contrahat, eademque ad recessum denuo se  
 explicet, quæ propterea *Noli me tangere* vocatur. Ea-  
 dem appellatio est *botanicis* perquam familiaris, quando  
 capsulas seminales leguminosas aut siliquosas, vel leviter  
 digitis prehensas, aut contactas, dissilientes, mox & dif-  
 fringentes, ea propter *impatientes*, sensitivæ, *intactiles* no-  
 minantur, aut *noli me tangere*: quo præcipue *balsaminas*,  
 imprimis *tuccam* referre solent; Nec quidem omnes tales  
 facile *mobiles*, *sensiles* aut offensioni & alterationi obnoxia-  
 res, partes &c. *manualem* contactum respuunt, sed & *a-*  
*liarum* substantiarum aut subjectorum applicationem ex-  
 cludunt & *fugiant*, quasi inter utraque subjecta ita dicta  
*antipathia* regnet; quemadmodum in experimentali in-  
 dagatione qualitarum *materialium* constat, quod *quædam*  
 materiæ cito & *facile* conveniant, seque invicem uniant, a-  
 liæ contra parum, *difficulter*, lente, & parvo temporis inter-  
 cessu cohæreant, conjungant, & velut ab invicem fugiant.  
 Unde hæc allegoria præsentis thematis ad varias vicissi-  
 tudines, actiones, occasiones, relationes & ausus applicari  
 potest. Sicuti vero hæc *allegorica* locutio satis sæpe usu  
 recepta & sensu *physico* accepta est, ita quoque in foro di-

verso *Theologico-Politico*, civili, morali, &c. non raro adhibetur; quoniam autem ejusmodi significatus, relatio & applicatio hujus thematis non medico foro ac usui responderet, sed *theologicis, politicis, moralibus* aliisque philosophicis respectibus quadrat & competit, ita hæc omnia aliis relinquenda esse putavimus.

§. II.

Nunc *propius* ad *præsentis* argumenti *medicam* explanationem accedere placet. Hoc *Noli me tangere* igitur comprehendit retentionem, denegationem, omissionem aut recusationem *curae* aut directorii medicinalis, vel *plenariam*, vel *temporariam*, pro ratione & qualitate *subjectorum, morborum & causarum* morbificarum: & hæc prudens, perita, necessaria & conscientiosa *abstinentia medica* est, ne in illis casibus, ubi certis ex circumstantiis atque signis secundum naturale humanum idque fundatum iudicium constat, in omni *ope humana* medica oleum operamque perditam esse, ne aut rigoroso regimine, aut stricta dura & acerba diæta, nec non multis aut potentibus medicamentibus æger magis angatur, morbus iste atrocior, ejus decursus & exitus gravior, difficilior, magis confusus atque corruptus reddatur. A morbis igitur lethali-  
bus, chronicis, fere desperatis, conclamatis & suapte natura immedicabilibus, nempe hæreditariis, ut nativa cæcitate, surditate, gibbositate, amentia, lepra, lithiasi, articularum doloribus, defectu membrorum, hectica senectutis, torrido marasmo, consummata ascitide, arthritide nodosa, phthisi, cancro ulcerato, convulsione, sphacelo, ab his, inquam, Medicus famæ suæ & artis gloriæ consulens interdum abstinere debet, nam ex horum morborum impr.  
cura-

curabilium curatione fere semper ignominiam honoris loco reportat. Adversantur quodvis commercium aut *quemlibet contactum* medicum *tales* homines, qui *pansophiam* arroganter & superciliose affectant, & *medicos* ac artem medicam sciola atque nasutula dijudicatione *spernunt*, quamvis audaciam, incertitudinem, *fallaciam* atque imperfectionem futilibus argumentis, ratiociniis & paralogismis utrisque impudenter & loquaciter imputent, deque illis iudicia scabiola & pediculosa ridiculis gerris ferant, eosque ignominia ac dedecore turpiter maculent, quos tamen divinum oraculum gloria & honore adficit. Tales contemptores ne quidem digni sunt, si in morbos incidunt, ut ab honestis & peritis medicis attingantur, sed potius arti veterinariæ & carnificum linimentis, ut ad sanio rem mentem pervenire queant, relinquendi. Præterea in societate hominum *tales* reperiuntur, qui extrinsecus & intrinsecus extreme sensibiles sunt, ut ne simplicis cuiusvis aquæ usum, asperisionem & applicationem perferre possint, ni in cute peripheriæ asperitatem, rhagades, surfuraceas secessiones, scissuras aut fissuras, serpigines, sudamina, maculas, ardores, rubores, pruritus, excoriations, lichenes &c. experiri malint: siquidem *feminis* celsioris stemmatis, aut molliter & indulgenter educatis, non raro accidit, ut nec omnem aquam, multo minus saponariam ad munditiem, necessaria lavatione acquirendam, admittere & tolerare queant, sicut passim PLATERUS aliique, qui morbos cutaneos explicarunt, monuerunt & indicarunt. Sunt etiam quidam homines, qui nec *lenissima* media, *emollientia*, sedativa, *paregorica* simplici appositione & adhesionem perferre possunt, sed inde prædictas mole-

stias patiuntur, hinc exempla constant, quod nonnulli em-  
 plastra lenientia aut simplicissimos flores chamomillæ  
 vulg. melilori, anethi, verbasci &c. nec interne nec exter-  
 ne admittere & tolerare potuerint. In hunc censum &  
 chorum pertinent, qui non solum omnia *medicamenta*  
*promiscue averfuntur*, sive *imaginario* & præjudicioso, si-  
 ve connato & hæreditario fastidio, sed & qui *certas species*  
 alimentorum & medicamentorum summo tædio, angore  
 & nausea prosequuntur. Quo loco in amplissimum cam-  
 pum *Antipathie* excurrere possemus, si speciales casus  
 recensere, scopus noster concederet: Illud saltem adhuc  
*generatim* indicare placet, quod in *prædictis* subjectis at-  
 que casibus, *lemma* nostri thematis, videlicet, *Noli me*  
*tangere* intuitu *officii* medici exercere & applicare neces-  
 sitas postulet, sive hæc abstinencia in *totum* observetur,  
 sive tantum certas causas & substantias naturales concer-  
 nat.

§. III.

Inter eos, qui *noli me tangere* exclamant, aliquan-  
 do etiam necessitant, numerandi porro sunt *Melancholici*  
 temperamenti homines, quippe qui *moraliter* & *physice*  
 medicorum commercia fugiunt; priori respectu dum  
 communiter sordide *avari*, tenaces, *morosi*, suis tantum  
 inservientes, beatus accipientes quam dantes sunt, pro-  
 ptereaque *Medicos* quippe pretiosos, & *medicamenta* ut-  
 pote *res caras* proclamant, hinc naturalibus viribus, ad  
 summum *vilibus* & *domesticis* mediis, aut temperaturæ  
 diætetice, juxta melancholica sua principia, dogmata,  
 axiomata & apophthegmata Natura paucis contenta esse  
 fertur, plus tribuunt, quare medicorum consilia & auxilia  
 vel



vel contemnunt & respuunt, vel negligunt & differunt, vel ægerrime admittunt & perferunt, ideoque austerâ fronte exclamant *noli me tangere*, quorum *morositas* & contumacia medicorum salutaria consilia & medicamentorum salutarem operationem impediunt, corrumpunt, destruunt & invertunt: ut interdum prudentes medici in nonnullis talibus ægrotantibus prævideant, quo suo officio parum aut nihil juvare, magis vero & facile nocere queant, hinc sua parte idem noli eos tangere observant: conf. b. STAHLII Disputat. de morosis agris. Dein vero *morosorum melancholicorum morbi* non raro perquam *confusi, obscuri*, perversi & tenaces sunt, ut *mitioribus remediis vix* alterari queant, potentiorum vicissim usu facile in irregularem valde statum conjiciantur, ut propterea in variis talibus casibus & subjectis satius & *consultius* sit, nihil egisse, aut noli me tangere exercuisse, quam artis famam & integritatem *ignominia* & diffidentia exposuisse. Præterea quam *rebelles sunt morbi, qui ab humore melancholico dependent?* hi namque perpetuis auxiliis non modo non subjugantur, verum augentur & concitantur magis. Et quid Medici prudentes suscipiant? cum morbis incognitis, quorum nec species, nec causa nec sedes constat. Quoniam directe nulla appropriata auxilia adhibere possunt, ideo tam diu cura per *expectationem & abstinentiam*, privativo quodam studio, observanda est, donec *indoles* ægrotationis *essentialibus* suis qualitativibus luculentius *inclare*scat, aut talia *ordinet*, quæ sine ulla *offensa præparationem* ad subsequenter specialem curam continent, videlicet *ordinarias excretionem* conservando & promovendo, *motum sanguinis* ab ullo excessu



*cessu aut turbulento progressu præservando, fluidam aut mobilem eius consistentiam & congruam temperiem adjuvando, ominosas mutationes corrigendo, vires necessarias fulciendo, aliaque impedimenta, ex animo, diæta & regimine metuenda, avertendo &c. quoad directam vero medelam tam diu hoc noli me tangere exercendo, ne præmatura officiositate quicquam tenter, quod morbi genio plane inconveniens, ideoque perniciosum est; de hoc casu BOHNIUS de off. Med. dupl. P. 1. cap. 6. p. 135. ita differit; non raro affectus primarius & huius causa adeo profunde latent, ut non semper mox primo nec altero &c. accessu dignosci valeant, non feriantur interim illa ægrum afficere: hinc non frustra dubium formatur, an ignoto morbo vel ignota causa affectui aliquod opponendum præsidium, vel cum ratione opponi queat? affectui nempe, cujus indicans & indicatum nos fugit & paulo post, adstipulante Botallo satius videtur, rem incognitam naturæ beneficio, quæ & ipsa in medicorum optimorum numerum recipitur, relinquere, quam manum incertam periculoque plenam addere. In nonnullis igitur talibus obscuris, absconditis, & intricatis casibus regulæ artis & prudentiæ requirunt, hoc noli me tangere observare.*

§. IV.

Ad classem talium casuum & affectuum, qui medicum auxilium haud admittunt, pertinent *Morbi Corrupti*, quorum aliqui quoad majorem corruptelam attingi, & medici periti ac prudentes eos attingere nolunt: etenim quidam eorum ita corrupti, *confusi & immorigeri sunt*, ut sponte pessima symptomata præcipiti invasione in consorium & scenam suæ tragædiæ trahant: inprimis quando

corru.

corruptio *pravus moribus*, impetuosus animi *pathematibus*  
 magnis & crebris *dietae vitiis*, *crassis erroribus* medicis  
 &c. genita & nutrita fuit, insuper *subjecta impatientia*,  
*immorigera*, *præcipitia*, indulgenter & molliter educata  
 sunt, horum morbi interdum tales *mutationes & subita-*  
*neas deteriorationes* inferunt, quales nec cum *principali*  
 morbi genio *coherent*, nec *expectatae & prævisæ* sunt,  
 quæ vero a *levissima* in- & externa *caussa* provocari pos-  
 sunt, qualem *tumultuariam* *syndromen* *circumspecti* me-  
 dici vitantes, *rectius* morbum talem *haud attingunt*: eo  
 minus vero prudentes medici ejusmodi *affectum directa*  
*curatione* aggrediuntur, quando is *inveterata* *corruptela*  
 laborat, quando *variis modis* sic *dictarum curationum*  
*tractatus*, *medicamentis multis perversis* *temerariis poter-*  
*tibus*, *incongruè contrariis* *confusis*, *corruptis & plane*  
*empiricis* per tot *discrimina rerum* *quaquaversum* *tracta-*  
*tus* fuit, in quo *statu & casu* *medicus honestus*, *ingenuus &*  
*peritus* *omni sollicitudine abstinet*, ne talem *affectum* *at-*  
*tingat*, quoniam *optima consilia & auxilia* in talibus mor-  
 bis facile *contrarios* edunt *effectus*, ut propterea *funestus*  
 eorum *decursus* *ultimo* *adscribatur* *medico* de quo hunc  
 alii, nonnunquam etiam illi, qui hanc *corruptionem* mor-  
 bo intulerant, *criminari* solent. conf. b. STAHLII *Disp. de*  
*morbis corruptis*. Porro quidam *Morborum Hereditario-*  
*rum* ita comparati sunt, ut *remediorum viribus* non ob-  
 temperent, siquidem magis *connatis vitiis* *moribus* ni-  
 tuntur, qui dum *juxta stylum HIPPOCRATIS* etiam *con-*  
*nutriti* sunt, ideo non solum *curatu difficiles* sed aliquan-  
 do *plane incurabiles* sunt: sicut autem *infanabiles affe-*  
*ctus*, *medicamentorum usu* aut *parum* aut *nihil* *levantur*,  
 ita

ita quidam eorum adeo intractabiles & refractarii sunt, ut a remediorum usu magis exacerbentur: & hi posteriores tales sunt, qui sua contumacia medicorum consilia & auxilia non perferunt, hinc illud noli me tangere qualitatibus suis associant, quos propterea medici post scurrationem & cognitionem indolis suæ attingere nolunt: haud quidem asserimus, quod *indiscriminatim* omnes, sed saltem *quidam* tales morbi medicam opem fallant, fugiant atque eludant, quoniam *unus* præ altero lenior ac mitior, aut gravior & *pertinacior est*. Ex quo patet, quod *hæreditariorum* morborum ea indoles sit, ut ob specialem ac indiscretam *sensibilitatem* ut plurimum provide & delicate tractari, vel tempore quodam ne attingi & moveri quidem debeant, siquidem *quidam* eorum, pro ratione *subiecti* alias *sensibilis, impatientis, morosi* & præcipitis, aut speciei, gradus, loci, nobilioris partis, temporis aliarumque circumstantiarum omnem contactum medicum respiciunt.

§. V.

Ad classem morborum hæreditariorum referri etiam possunt *Nævi Materni*, quorum *nonnulli* nec deligatione, nec abscissione auferri, nec aliis mediis & experimentis *extingui* & detergi possunt, sed ita sensibiles & intractabiles sunt, ut *quorumlibet* remediorum adplicationem adferentur: hoc inprimis de quibusdam *tumoribus* & *excrescentiis* valet, quales ab innocentibus emollientibus, sicca forma applicatis, remediis ita irritari possunt & solent, ut inflammationes, pertinaces congestiones, spasmi, dolores, gangræna, sphacelus, maligna ulcera &c. superveniant, ideoque tangi nolunt. Imo quædam species

species talium nævorum ita comparatæ sunt, ut & simpli-  
cia eaque domestica remedia externo usu minime tole-  
rent; constant nobis exempla talium *connatorum* tumo-  
rum, qui cum lenissimorum facculorum & emplastrorum  
emollientium applicatione ad præcipitem inflammatio-  
nem & ulcerationem carcinomaticam coniecti fuerant,  
enim vero tales nævi, quippe extraordinarium connatum  
& connutrium accidens, plus quam ordinaria & ad na-  
turalem integritatem pertinens pars organica, sensibiles  
teneri & flexiles sunt, ut facile exacerbari, irritari & ad  
pessimam *metamorphosin* deduci queant: sicut *simile* quid  
interdum in certis subjectis contingit, ut præternaturales  
fortuitæ excrescentiæ verrucosæ, fungosæ, carnosæ, glandu-  
losæ, vel leviter & molliter remediis tactæ, graviter &  
acerbe alterentur, magisque contactum medicum respu-  
ant. Huius qualitatis nonnunquam sunt *scirri* quidam  
interni, nobilia viscera occupantes, inprimis *sanguinei* &  
a turbato motu abundantioris sanguinis pendentes, cum  
Hæmorrhagiis certis, velut Lochiorum, Mensum & Hæ-  
morrhoidum fluxu connexi, frequentibus congestionibus  
& orgasmicis commotionibus sanguinis stipati, in organo  
largius sanguifero hærentes, qui medicamenta sanguinem  
paululum commoventia ægerrime perferunt, multo mi-  
nus vulgata resolventia, discutientia, volatilia, spirituosæ,  
concentrata, calefacientia admittunt, sed lenissimam pal-  
liativam medelam tolerant, ad alia vero fortius evacuan-  
tia & alterantia talia strenuo illo scuto *Noli me tangere* ar-  
mati sunt, ni ad perniciosam extravasationem, inflamma-  
tionem & sphacelationem præcipitentur, & si saltim re-  
motive leniora remedia, temperantia, emollientia, sangui-

nis orgasmum mitigantia, inquietum sanguinis motum lenientia, suspectam huius plenitudinem minuentia adhibentur, tunc hæc quidem *directe* causam *proximam* non attingunt, ast subinde opportune & circumspecte commendari debent, ne sub confuso & incongruo usu in intricato tali affectu perversum & contrarium effectum edant: id quod præcipue de scirrho grandiori, intimiorem hepatis regionem occupante, valer, qui alias ob largiorem sanguinis affluxum facile offendi potest: unde periti medici non nisi maxima circumspectione eosdem tractare, aliquando plane non attingere solent.

§. VI.

Ejusdem qualitatis est grandior *Pulmonum vomica*, quæ dum resolvi haud potest, ira directam medelam non admittit, talem contactum respuit, & ægre perfert; hinc in subjectis, inquieta & turbulenta plethora præditis, præcipitibus & pertinacibus congestionibus pectoris obnoxius, in tumultuarios motus, præcipue hæmorrhagicos & vagos orgasmos sanguinis pronis, tam infaustus *metaschematismus* leviori etiam contactu medico excitari potest, ut in exitu hujus tragædiæ observare & judicare liceat, tutius fuisse hunc nodum nec tetigisse, nec solvere suscipisse: hinc non nisi leniori modo palliative & remote quicquam in arduo tali casu egisse & inter spem & merum id expectasse sufficiat, moratoria cura id præcavisse, ne præceps lethalis mutatio huius affectus irruat: minime omnium vero rationali medicinæ convenit in tali casu experimenta minus probata tentare, & cum illis certa *pericula* facere, ubi certius mors quam prolongata misera maximeque afflicta vita expectanda est. Quamvis enim  
in

in cura vomicae ab antiquis medicis Lac idque vel asinum vel caprinum, ab aliis medicamenta siccantia, decocta lignosa commendentur, tamen curationis exitus, quem optamus, non contingit, & si quidam hujus affectus curam vel factu possibilem, vel re ipsa factam affirmant, uti WILLISIUS alique, tamen hoc testimonium vel ad paucos tales ægrotantes, vel ad mitiorem eorum statum referendum est, quod ad graviozem extendi non debet. Qua de causa periti medici a curatione diurnæ & *gravidioris vomicae* vel desistere, vel non nisi lenissimo modo ægros tales tractare debent, nam si secundum plurimorum confessionem *minor vomica* rupturam experiri & ægrum *suffocare* facile potest & solet, quid de majori magisque intricata sentiamus. Quam ob rem hoc loco & hac classe indicamus, quod in Praxi medica tales interdum casus hujus affectus occurrant, in quibus prudens medicus *hoc noli me tangere* exercere debet, id quod etiam de nonnullis aliis internis *ulceribus* & *tumoribus* occlusis, occultis, intricatis, & saccatis valet, qui vel tentativa incongrua, *ambigua* & temeraria cura, vel remediis fortioribus subito exacerbari possunt, ut *perruptionem* periculosam nanciscantur, vel ad *præcipitem hæcticam* consequentem certissimam causam suppeditent. Seriem talium affectuum in quorum dijudicatione & directione medicus hoc noli me tangere observare debet, auget negotium Hæmorrhoidale, vel coacto modo provocatum, iterumque corruptum, vel malis artificii, pravis affectibus animi, magnis excessibus in Diæta commissis, erroneo regimine & vitæ genere in *tumultuarium* statum & ad *prodigum* fluxum seductum, quod nunc præcipitibus pertinacibus

*immoderatis* & turbulentis commotionibus, congestoriis, spasmodicis, in varias *alias* regiones regurgitatoriis, eluctatoriis & stagnatoriis exacerbatur, ut *lenioribus* remediis corruptus talis status vel nihil vel parum vel minus constanter emendari queat, vel sedativis, tonicis, roborantibus, vel opiatis & adstringentibus nunc minus nunc plus *offendatur*: ut plurimum vero corruptus hic status vel sponte in turbulentum processum degenerat, proinde autem a remediis vel paululum humores & solidas partes afficientibus & commoventibus valde irritatur, ut motus nunc ad viscera hypochondriorum ruant, & varia *tragica* symptomata, inprimis colicam ventriculi fatalem, vomitus incoercibiles, colicam hæmorrhoidalem pertinacem & acutam, iliacam passionem, asthma hypochondriacum, congestionem pertinacem ad hepar tendentem, subitum tympanicum & asciticum tumorem, nunc in pectore asthma spasticum, catarrhum suffocativum, hæmoptysin, polypum cordis extemporaneum, suffocationem ab impetuoso affluxu sanguinis ad cor & pulmones, & impedito ac sufflaminato progressu illius per utraque organa in capite, insultus aut actuales affectus apoplecticos, paralyticos, syncopticos, lethargicos, convulsivos aliosque periculosos & subitaneos morbos causentur: ob hunc igitur justum & certum metum consulto & merito periti circumspècti & huius intricati schematis morbosi gnari medici a positiva cura abstinere, iterumque lemma illud nobile noli me tangere conveniente relatione & applicatione exercent: & hæc cautela in hoc casu omnibus ingenius medicis serio inculcanda est.



§. VII.

Hactenus nominatis & genio suo indicatis morbis, qui vel *directum* vel *indirectum* tactum medicum declinant & respuunt, annúmeramus *uteri* diuturnas crebras & prodigas Hæmorrhagias, ut & intimiora & longinquiora ulcera, quæ communiter malignam & cancrösam qualitatem assumunt, quæ ex utraque parte a *medicis* & *experimentis* parum solatii expectare possunt, quibus id facilius accidere solet, quod illi mulieri *hæmorrhosæ* quondam accidit, quæ multa perpeffa est a multis medicis, nec potuit ab ullo curari: nam quando in utero majora aut numerosiora vasa sanguifera læsa & rupturam passa sunt, tunc firma, facilis & durabilis consolidatio vix speranda est, quin certius levis cæteroquin causa immodicum talem fluxum uterinum revocare queat; hinc tales scæminæ ægre labores, motus & inclinationes corporis exercere debent: & quoniam in tali casu leniora remedia aut parum aut nihil juvant, ita alia potentiora vel roborantia vel diaphoretica sanguinem alias parciolem cito in suspectum orgasmum conjiciunt, adstringentia autem & sedativa pessimum effectum edunt; ut periti medici aperte constentur, consultius esse talem intricatum affectum non attingere. Idem judicium valet de pravo & profundo ulcere uteri, quod unquam medelam bonæ spei & desiderati auxilii vix admittit, sive internis sive externis remediis tractetur, ut facile medici totius operosæ, difficilis & sordidæ curæ pertæsi, vel sponte manum subtrahant, inprimis quando in nonnullis talibus ægrotantibus interna balsamica affluxum humorum ad affectam partem augent, subinde vero varia nova symptomata excitant,

tant, quæ deinceps posthabita præcedente indicatione aliis novis adminiculis lenire, mitigare & avertere debent; quippe quæ instabilis & distracta methodus totum statum præsentis mali valde corrumpit, exacerbatur & deterioratur. Hinc periti & circumspecti medici, hujus schematis & metamorphoseos gnari, securius manum de cura tenent, & illud noli me tangere sollicitè exercent, aut saltem palliativam curam concedunt. Et hoc ordine reminiscimur porro illius maligni ulceris, quod Medici & Chirurghi speciali & emphatico significato *noli me tangere* vocant, quando inter actuale, perfectum & completum Cancrum, Lupum & hoc ulcus aliqualem differentiam faciunt. Oritur vero hoc ulcus in facie supra mentum circa os & nasum, exulcerati cancri speciem referens, & vocatur *noli me tangere*, quia tangentem inficit, vel quia quanto plus tangitur tanto magis crescit & in pejus vergit. Ob id de ejusmodi ulcere maligno & intricato Poëta canit: *curando fieri quædam pejora videmus ulcera, quæ melius non tetigisse fuit.* Utroque enim modo eadem tactum haud facile cum emendatione sui aut aliquali sanatione admittunt, vel immediatam manualementem, vel cum medicamentis officiosum; quare ut plurimum medici ad actualementem & radicalem istiusmodi ulceris excisionem confugiunt, si aliqualem felicem medellæ successum sperare, expectare & promittere volunt. Etenim si pars ipsa, quam talis suspectus tumor aut pravum ulcus occupat, nobilis, mollis, rara, tenera & sensibilis, vel affectus perquam perniciosus, mali moris, & ut dicunt, phagedænicus est, tunc uterque tactus facilius irritamentum & offensam, quam limentum & medellam afferre & causari solet.

§. VIII.

§. VIII.

Haud frustra ac immerito, modo dicto intricato affectui ad latus ponimus, *famigerata* illa tubercula, papulas, monticulos & pustulas faciei, quas *guttam rosaceam* vocant, qui dum faciem deformem reddere solent, ideo eos affecti frequentius digitis attingere, carpere, comprimere, & pervellere solent, unde ita irritantur, ut non solum numerosiora talia tubercula efflorescant, sed ob majorem humorum affluxum, reliqua magis protuberare, rubescere, indurari & inflammari, hincque dolores, ardores & pruritus acerbiores pati soleant: inde etiam contingit, ut pustulæ tales in pravum habitum degenerent, & ad locum hactenus affectum alii humores excrementitii deferantur, & inverso aut turbulento modo atque præternaturali statu e facie, naturali ordine comparate venusta & munda, nunc cœnosum excrementorium formetur & erigatur: quod præcipue in plethoricis & sanguine quantatenus intemperato, inprimis bilioso, ut & molliori ac laxiori habitu corporis præditis, accidere solet: ideo consultum est, ut talia tubercula parum attingantur, ne prædictum irritamentum paretur. In quo provido directorio *nexus* negotii hæmorrhagici cum eiusmodi pustulis faciei non silentio obliterandus erit. Idem etiam de iniriantibus *Parotidibus* valet, quæ quidem exiguo tuberculo ad successivum incrementum viam faciunt, attamen quia retro aurem insolitam eamque molestant sensationem creant, ideo ad crebriorem contactum & explorationem alliciunt, qui tactus vero ad ulterius eiusdem tuberculi accrementum, majorem indurationem & dolorosam sensationem certiolem ansam præbet: quare in

D

hac

hac etiam afflictione abſtinentia a tali noxiſo actuali conta-  
ctu commendanda eſt; quoniam alias tales Parotides ſub  
reliqua perita & circumſpecta medica tractatione non mo-  
do communiter pertinaces & immorigeræ ſunt, ſed & fa-  
cile & sæpe in perverſum tramitem degenerant. Præ-  
rerea in Praxi *Medico-Chirurgica* interdum occurrunt tu-  
mores *aneurifmatoidei*, quando alicubi apoſtema in abſceſ-  
ſum ulceroſum ocluſum degeneravit, quod erodente ſua  
qualitate vas quoddam ſanguiferum profundius aut inti-  
mius ſitum arrodit ac perſodit, unde ſanguis eſluit, in  
ſaccatum tumorem tranſit, qui ægerrime diſcuti poteſt,  
ad emollientium uſum augeſcit, ad diſcutientium & ro-  
borantium applicationem ſuſpectum dolorem, ruborem  
& ardorem aſſumit, ad comprimentium ordinationem in  
inflammationem & ſphacelationem inclinat, maturatio-  
nem plane reſpuit, ab apertione incoercibilem & lethale-  
m hæmorrhagiam patitur, unde varia ratione hoc *Noli  
me tangere* acclamat, & ſaltim curam palliativam admo-  
dumque circumſpectam admittit; Cujus tragici caſus me-  
morabile exemplum DN. PRÆSIDII, *Præceptoris meo ad  
cineres uſque deoenerando* in memoria reſidet, in Magiſtro  
quodam Philoſophiæ, tali ſuſpecto tumore affecto, cui of-  
ficioſus & temerarius Chirurgus, vehementer licet diſſua-  
dente DN. D. PRÆSIDII, tumorem, incifione facta, aſt in-  
felicitè aperuit, qui altero die ob incompeſcibilem hæ-  
morrhagiam præter omnem opinionem, exſpectationem  
& promiſſionem ſecuri chirurgi expiravit. Et quid aliud  
cum affectibus ſerè occultis aut plane talibus inſtituendum  
& ſuſcipiendum erit? velut ſunt *hydroſ pericardii, abſceſſus  
intimiores hepatis, ſplenis, meſenterii, ſcirrhi claudeſtini,*  
byda-

*hydatides*, tubercula *ventriculo* adhaerentia, & innumeri ferme alii mirabiles & fontici affectus, quorum causae propriae post mortem demum sub scrupulo sectionis & Inspectionis manifestae & cognitae redduntur: quamdiu igitur *sedes, species & causa* morbi incognita est, tam diu Medicus caeco ausu e fallaci praesumptione & opinione, directe nihil tentare, sed ad HIPPOCRATIS monitum tam diu expectare debet, donec major evidentia de morbo tali illucescat, ubi nihilominus interdum qualitas morbi ita comparata est, ut in ordinandis & usurpandis auxiliis summa circumspectio observanda sit: nam in morbis occultis & incognitis juxta diversorum consilium anceps potius, quam nullum experiri velle remedium, magis cum Empiria, quam medicina rationali convenit, quia tale experimentum fallax est & cum periculo fit: hinc rectius erit aliquando *absolute*, interdum ad aliquam temporis moram *hoc Noli me tangere* pro circumstantiarum conditione & vicissitudine observare.

§. IX.

Singulis hisce affectibus, in quibus vel *actualis & manualis contactus*, vel remediorum, inprimis *potentiorum* aliquando *directe* oppositorum usus prohibetur, annumeramus nonnullos morbos *Cerebri & nervorum* velut sunt *abscessus*, humorum *stagnationes*, indurationes, *excrementiae*, *concretiones*, aut vitiosae & tumultuariæ commotiones spasmodicae, convulsivae, vel defectus & abolitiones necessariorum & salutarium motuum, similesque fontici mirabiles, intricati & corrupti alii affectus, qui pro conditione proprii sui genii, ut & subjectorum ac circumstantiarum conditione & varietate valde sensibiles sunt, &

a remediorum usu subito alterari solent, qui propterea summa circumspectione tractari debent, ita ut interdum idem Noli me tangere attendendum, ne affectus syncopici, lethargici, hemiplectici, apoplectici, paralytici, aut subita plane mors excitentur: in quibus ancipitibus affectibus palliativa saltem cura quandoque admittitur: Non minori sollicitudine & circumspectione *Hemophobi* plethorici tractandi sunt, quibus perita quidem sanguinis imminutio utilis & necessaria esset, ob summum autem metum, angorem & horrorem talis actualis & quasi violenta sanguinis subtractio iis non obrudenda est: hinc vel ipsum verbale consilium de sanguine mittendo extremo angore & fastidio prosequuntur, & *medicus* usus ab eiusmodi auxilio speratus, plane evanescit, & in contrarium degenerat effectum: siquidem sanguinis motus inde plane turbulentus & inquietus redditur: quare noli tales *timidus* phlebotomo tangere, ne gravius malum provoces; hocque coacto medio eam noxam acceleres & exacerbis, cui illud ad opinionem opponere ausus es. Et quoties non hæc occasio exercendi illud *Noli me tangere* in *morbis Infantum* occurrit, qui communiter medicamentorum summo pavore & angore averfantur assumptionem, ita ut ne persuasionibus, nec blanditiis, nec promissionibus, nec auferis adhortationibus, nec comminationibus, nec verbis, nec verberibus commoveri & præparari possint, ut medicamenta licet grati & dulcis saporis ingerant, quin magnis clamoribus, imo acerbis indignationibus eadem fugiant exspuantque, unde aut contrarii talium remediorum effectus, aut præsentis affectus graves exacerbationes, aut nova periculosa symptomata spastica, convulsiva &

& quæ alia in tenella tali ætate, ab ira metuenda, veniunt, expectari debent: quam ob causam Medici admodum dissuadent, ne rigoroso & coacto modo medicamenta illis intrudantur. Hinc indicamus & judicamus, quod sæpe in infantum morbis certo respectu & certa restrictione hoc *Noli me tangere* conciliari debeat. Nec oblivioni tradendi sunt illi ægrotantes, qui extreme viribus exhausti sunt, qui sub operatione potentiorum remediorum expirant, ut culpa mortis non in hunc morbi statum & gradum, sed in medicum & oblatum medicamentum conjiciatur, leniora vicissim remedia plane nihil ad salutem & levamen ægri conferant, sed frustra ordinentur: ob id medici prudentes, conscientiosi & periti tales ægros aut Deo & prognostico relinquunt, nec illos amplius tangere volunt, aut talia ordinant, quæ si nihil juvant, atramen haud nocent. Ad hanc classẽ referendi sunt tales ægrotantes, qui vix ulla ope medica salvari possunt, ideo providi medici eos arte sua aggredi & attingere recusant, aut illos quippe perditos, moribundos & in desperato gradu constitutos, excipiunt atque tractant. Plura vero addere haud lubet, posteaquam varia exempla & specimina recentuimus, in quibus limitata & restricta ratione secundum regulas prudentiæ, conscientiæ & artis illud *noli me tangere* adhibere & applicare consultum est. Deo, quippe almo Directori nostrarum actionum devotissimas, grates persolvimus, quod præsentem opellam prospero successu beare voluerit, quem humillime rogamus, ut hunc aliosque salutare nostros labores omnipotenti suo verbo: *Noli eos tangere*, i. e. violare & malevole dijudicare, protegat, efficiatque, ut illos semper salutaris defendat promoveatque

F I N I S. NOBI-  
D 3



NOBILISSIMO ET PRÆSTANTISSIMO

DOMINO CANDIDATO

Evequorū precatur

PRÆSES.

**I**N Morborum directorio Medicus interdum Spectatorem, observatorem & Expectatorem magis, quam sollicitum & officiosum Operatorem se præbere debet, quando vel propriis suis viribus Natura morbificis causis expugnandis sufficit, vel quando genius & causa alicujus ægritudinis adeo adhuc abscondita est, ut anceps adh. hæreat & in dubio fluctuet artifex, quorsum judicium, consilium & auxilium dirigere debeat, ut ægrotantis sanitas restitui & impetrari queat, vel denique quando quidam morbi specie, statu & gradu suo ita comparati sunt, ut naturalem quandam opem non amplius admittant & immedicabilem affectum constituent; hinc GALENUS *Lib. i. de morbis* proficitur: *Cum homo morbo afficitur, qui vehementior est, quam medicinæ instrumenta, nec sperare quidem oportet, ut e medicina superetur: cui asserto consentiens est AVICENNA, inquit: ex scientia istorum videbit medicus & sciet, qui moriatur, retrahatque manus suas a cura ejus.*



*ejus. Ut ut in nonnullis casibus consultius esse videtur, nihil directe tentare, remotive vero & palliative quædam suscipere & experiri, ne citius funestus consequatur exitus, quo Medicina moratoria locum & applicationem invenit: quo effectum AETII pertinet Lib. 3. c. 7. abstinere ab iis, qui affectioni corripit & tentari videntur, plane desperantium hominum est & malignorum, quia humanum & plenum benevolentia est signum in extremis etiam malis usque ad experimentum procedere ad reprimendam difficultatem morbi; quod consilium porro suo calculo & interpretatione confirmant Zacut. LUSIT. M. P. H. Tom. 2. dub. 41. Roder. a CASTRO in Med. Polit. L. 3. c. 17. Mercurial. Error. publ. L. 5. CODRONCHIUS de Christiana medendi ratione, Cardanus de malo medendi usu. BRAVO dogmat. medic. præstantia, BOHNIIUS in Off. Med. dupl. P. 1. cap. 4. & 6. longe tamen alia qualitas agrorum est, qui impetioso affectu medicis imperant, quæ & quando consulere debent, aut qui salutaribus regulis austere plane repugnant, ob id LENTILIUS in Eteodromo p. 559. eloquitur: magno onere levatur medicus liberatus a patiente moroso, immorigero, vago & obmurmurante; molestissimum est illis medicari, qui fiducia in medicum carent, quod, quoties fieri sentio, malim prope modum in lupanar, quam ejusmodi domum meare. Prudentis itaque & conscientiosi medici munus est, ne andabatarum & parabolorum more cum morbis pugnet, sed omnia sec. rationis & peritiæ institutionem & confirmationem suscipiat & exequatur: quam ob rem in foro medico non raro tales casus contin-*

contingunt, in quibus cavendum est, ne malum ir-  
ritetur & deterioretur, si vix mitigari, ne dum radi-  
citus extirpari potest: siquidem in ignominiam arti-  
ficis cedit, multa promittere & tentare, sicque ex-  
perimenta dubia, fallacia, æquivoca aut plane periculosa per mortes facere: huc enim quadrat effa-  
tum **BOTALI** *Lib. de medici & ægri munere: non  
raro evenit ut cum officiosissimi esse volunt, eo tunc  
sint maxime noxii.* Hujus acroaleos & cautelæ **TU**  
**PRÆSTANTISSIME DN. CANDIDATE** pro-  
be gnarus & memor tale selectum argumentum In-  
auguralis Tui Speciminis tractasti, quod nec trivia-  
le, nec vulgare, sed in toto foro Medico observatio-  
ne & commendatione perquam dignum est; quip-  
pe quod haud speciali ac exquisito studio & Spicile-  
gio expositum prostat: & licet idem thema amplius  
tractari, variis exemplis illustrari & necessariis do-  
ctorum suffragiis confirmari poruerit, laude tamen  
succincta Tua explicatio erit commendanda, quo  
magis præclarum Tuum curriculum academicum  
eximia solertia, perquam honesta, proba, laudabili  
& inculcata vitæ ratione, strenuo & constanti discen-  
di inque Philosophicis & Medicis disciplinis profici-  
endi ardore combinatum fuit, ita ut ob elegantem  
eruditionis acquisitæ thesaurum atque ornatum aliis  
honestis mentibus totum Te insinuaveris; de quo  
egregio cimelio, ut & de optime meritis honoribus  
doctoralibus, quos nunc tanquam splendidum au-  
ctoramentum academicum consequeris, eo confi-  
dentius testimonium ferre Tibique gratulari pos-  
sum, quo magis quotidiana conversatio, quam me-  
cum

11103

ir.  
di-  
ti-  
x-  
ri-  
fa-  
on  
no  
u  
o.  
n-  
ia-  
o.  
p-  
e-  
is  
o-  
en  
no  
m  
ili  
n-  
ci-  
m  
is  
o  
is  
i-  
s-  
n

cum partim sub institutione indefessa didactica, par-  
tim sub habitatione & usurpatione hospitii meis in  
ædibus tranquillis, modestis, ordinatis, & egregiis  
moribus servasti: quod igitur superest, precor &  
apprecor, ut cœlestis moderator qui Te hætenus  
ab omni seductione, digressionem atque damno inco-  
lumem & integrum protexit, porro honesta Tua  
negotia felicissimis progressibus coronet, quod mi-  
hi semper mnemonicum erit oblectamentum. Vale  
& favere mihi amplius perge, qui Te singulari  
propensione hætenus profecutus sum. Dabam

Pridie Nonarum Julii A. O. R.

MDCCCLII.

PRÆNOBILISSIMO ET PRÆCLARE

DOCTO

DISSERTATIONIS AUCTORI,

AMICO SUO LONGE ÆSTUMATISSIMO

S. P. D.

PETRUS SAMUEL DE CHAUFÉPIE,

HAMBURGENS.

OPPONENS.

**I**Nauguralem cathedram conscensurum, & ex hac  
mufarum sede, emenso felicissime studiorum  
TUORUM curriculo abiturum non satis habui  
faustis omnibus prosequi; hasce addere volui lit-  
teras aut si mavis litterulas, amoris ac studii in TE  
E mei

mei copiam significantes. Quod officii genus ut  
dulcissimæ TUAE familiaritati debeo, ita id TIBI,  
AMICE SUAVISSIME, non ingratum aut iniu-  
cundum fore confido. Statim ab illo tempore, ex  
quo primum TUA frui consuetudine mihi licuit,  
nihil certe prius habui, quam ut in dulcissimam  
TUAM pervenirem amicitiam. Nec voti mei com-  
potem me reddere recusavit singularis TUA huma-  
nitas, quæ oblatam non detrectavit familiaritatem.  
Non possum quin de tali amico etiam atque etiam  
mihi gratuler. Si enim fortunata dicenda est illo-  
rum coniunctio, quæ & voluptatem fert & profi-  
cua est, hæc sæpe mihi obigit felicitas, ex quo TE-  
cum mihi intercessit usus. Ego vero tanto maioris  
semper TUAM feci præclaram eruditionem, in-  
dolem erectam & conjunctam hisce morum suavi-  
tatem ac animi sinceritatem, quo rarius quodvis  
horum esse scio, licet speciem eorum qui præ se fe-  
rant dentur sat multi. Mutuum erga me amorem  
TUUM non modo satis mihi probata fides & inte-  
gritas TUA me sperare iussit, sed in eadem fiducia  
magis etiam confirmavit, a TE mihi demandatum  
munus opponentis, quod quidem etsi pro ingenii  
mei imbecillitate in me suscipere dubitavi, attra-  
men pro ea quæ nos intercedit familiaritate illud  
detrectare, TUOQUE deesse desiderio, non ausus  
sum. Maxima non solum cum voluptate sed etiam  
admiratione eximium præstantissimæ TUAE erudi-  
tionis legi specimen, cuius felicissimam TIBI &  
ominor & iam in antecessum gratulor defensionem.  
Summum vero TIBI semper adsit numen & cun-  
ctis

Etis TUIS annuat cœptis, quo omnia illa quae suscipies in sui nominis gloriam, in patriæ TUAE splendorem, ægrotantium salutem, imò in TUI ipsius honorem TIBI cedant. Vive ex animi sententia, & res TUAS age feliciter, meque si non male de TE meritis sum etiam absens quod TE iterum iterumque rogo amare perge. Dab. in alma Fridericiana Calend. Julii

MDCCLI.

<b>N</b> olite me Camœnæ,	Amica vis voluntas,
<b>N</b> olite me vocare:	Nolite denegare.
Audacioris artis	Appollinis corona
Et Icarî Sodalem,	Corona laureata
Qui pennula procaci,	Quam nunc Hygea nectit.
Procaciore nisu,	Amice jam coruscat
Parnassium proterve	Ambitque rite vultus.
Tentaverim cacumen.	Jubetque gratulari.
Me vis amica pellit.	Quid gratulor ergo?
Quod vis amica suadet,	Hæc vota nuncupabo:
Nolite non probare.	Cave! fave! valeto!
Quod erogat voluntas,	

Christianus Gotthuld Stolzenberg,

Grossenwenda-Hohensteinensis, M.C.

Opponens.

Wie

Wie sonst die schwarze Nacht der halben Welt entweicht,  
Wenn Phöbens güldnes Haupt aus seiner Kammer  
schleicht,

So muß die Finsterniß aus unsrer Brust entrinnen,  
Wenn wir durch steten Fleiß ein helles Licht gewinnen;

Diß hast Du ebenfalls, geehrter Freund erlangt:

Daher Apollens Strahl um Deinem Haupte prangt.

Du kanst, Du wirst, Du solst nach Arbeit, Fleiß und Schwitzen  
Da Dich die Tugend krönt den Glück in Schoosze sitzen.

Wohlan der Himmel sey beständig aufgeklärt,

Denn wen die Weisheit schmückt, der ist der Strahlen  
wehrt;

Drum geh geliebter Freund, doch wirf bey Deinem Glücke  
Bisweilen einen Blick auf deinen Freund zurücke.

Joh. Conrad Phil. Zimmermann,

aus Kitzingen in Francken der A. G. B.

Opponens.



ULB Halle

3

000 911 895



st,  
er  
  
en  
  
en  
  
fe

t,  
A  
D  
B  
I  
M  
O  
P  
O









Farbkarte #13

B.I.G.

AUGURALIS MEDICA  
STENS

# TANGERE DICUM SIVE UOS TANGERE LICET,

*Ornam.*  
DEO PROPITIO,  
*itate Gratiōse Facultatis Medicæ,*  
IA FRIDERICIANA,  
ÆSIDE

## ELE ALBERTI,

MULICO ET CONSIST. MAGDEB.  
D. ET PHILOS. NATUR. PROFES-  
SIO, ALUMNORUM REGIORUM  
MEDICIN. PHILOS. H. T. DECANO,  
DECANO SUO SPECTATISSIMO,  
*motore suo, omni honoris cultu prosequendo*

### U DOCTORIS

IA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS  
MORE MAJORUM IMPETRANDIS,  
LI. D. VII. JUL.

QUE CONSUVETIS  
FORUM VENTILATIONI SUBJICIET  
CTOR

### FRIDERICVS MEZ,

RTEMBERGENSIS.

MDCCCLXXV  
MAGDEBURGICÆ,  
HENDELII, ACAD. TYPOGR.

*Ordinae*

